

Epistola  
consolatoria ad  
amplisimum,  
consulti szimunque  
virum, d.  
Henricvm...

*1 Ic Fol.*



National Library  
of Sweden

27a  
EPISTOLA  
CONSOLATORIA

*Ad Amplissimum, Consultissimumque Virum,*

D. HENRICVM TETIVM,

Cuprimontanorum Consulem Regium & Collegii  
Metallici, quod est Holmiæ, Assessorem gravissimum,

*Cum filius ejus*

Ornatissimus ac summæ expectationis Juvenis,

JOHANNES H. TETIUS = Teet

D. 13. Septemb. St. vet.

Lugduni Bataavorum, celebri pompâ, in Æde S. Petri terræ  
mandaretur; scripta

A B

ELAOTERSERO SUECO.



LUGDVNI BATAVORVM,

Ex Officinâ PHILIPPI DE CRO-ï, Anno 1610c XLVIII.



EPISTOLA  
CONSOLATORIA

Ad Augustinum, Consiliarium Venerabilem

D. HENRICVM TETIVM

EPIGRAMMATA



Vis jacet hic, quæris; Cujas hæc Vrna recondit  
Vmbra? sum Tetius nomine, stirpe Succus.  
Pervigil hic doctas Batavum dum scrutor Athenas,  
Dumque amo Boxhornos, Heinsidesque Colo;  
Ecce triumphales circumdant tempora lauri,  
Atque stitit cursum Mors inopina meum.  
Flete sacros cineres Musæ, spectate cadaver,  
Vos modò qui colui, sarcina ista tegit!

M. D. L. mq;

posuit

Elaus Terseus



Ex Officina Philippi de Gro. Anno clccxxviii.

*Ser. Reg. Mis. Suecia,*

In inclutâ civitate Cuprimontanorum, constituto Con-  
suli & Collegii Metallici Assessori,

*Amplissimo & Consultissimo,*

**D. HENRICO M. TETIO,**

Dn. suo Mecœnati pl. honorando,

SALUTEM.



Ommoveri te præsentio, atque obitu fi-  
lii, aliùs ingemiscere, præsertim quùm  
tantam virtutis indolem, sævitia mor-  
tis, peregrinâ in terra, tam subitò & in  
ipso ætatis flore, tanquam segetem in  
spicâ, invaserit, confecerit. Scilicet

ista funeris acerbitas cui potius lachrymas excutiat,  
quam patri? ut qui, remotâ omni lugentium scenâ,  
obitas suorum mortes, absque insigni doloris sensu, au-  
diat? Augebit, sat scio, mæstitiam, præter jacturam ere-  
ptæ sobolis, quòd assidere valetudini, colligere deficien-  
tem, atque in illâ novissimâ luce, fatiari vultu, complexu,  
osculo, non contigerit. Postremò gravius multò feres,  
moriendi necessitatem, præmaturo exitu subire debuisse,  
qui prosperâ sui famâ, ad posteritatem validus, ipso spa-  
tio vitæque oportunitate clarescere poterat. Enimverò,  
hos cum primis in luctum patriæ, parentum ac propin-  
quorum abripi, & quod omnium est miserrimum, cum  
pompâ nonnunquam in scenam produci; alios longissi-  
mum ævum, infamem ceteroquin vitam, cujus pretium  
pariter

pariter contempserant, sine curâ, sine moriendi consilio,  
 transire. Sed verò, nequicquàm adversus providentiam,  
 fata fortunasque nostras disponentem, querelas intendi-  
 mus:& hoc illud est infelix humanæ vitæ condimentum,  
 ut, qui modo spes ac vota in longum præcipitamus, jam  
 simulachra mortis aut cadavera muta, emarcida, fordida-  
 ta conspiciamur. Adeò omne, quod infra lunarem orbem  
 continetur, mortalitatis legibus natura obstrinxerat: nec  
 solum clepsydræ extremum illud stillicidium exhaurit,  
 sed quicquid ante defluerat, & tam media, quam poste-  
 rior ætas officina luctus est. Nempe tamen subitis affecti-  
 bus impares sumus, ac perinde dolor, quàm repentina læ-  
 titia, si deprehendat, constantiam mentis eximit. Annon  
 illa Romana prietatis notissimæ mater, nuncio mali Can-  
 nensis exterrita, filio reduce, quæ flebat, obrigit in mor-  
 tem? nec par esse gaudio poterat, quæ superfuerat orbita-  
 ti? Consciis igitur cœlestis arcani, mavis tibi sperata  
 procedere, ac obfirmare animum, quem ad primam etiam  
 familiæ divisionem, quum conjugem amitteres, supra o-  
 mnem casum erectum, infractum, inconcussum, tristi vul-  
 tu fortuna conspexit, quasi hoc unum timeret, ut cum  
 vincere immotum, in isto funesto habitu nequiret, e-  
 tiam tanta imperatrix, ab uno mortalium vinceretur. Ha-  
 bebas etenim, in quem mœstum animum reclinares, &  
 quia vano questu, quod non ignorabas futurum, prosequi  
 te videbas, fortiora solatia è complexu reipublicæ peti-  
 visti. Nec immeritò. Nam primùm supervacuum est dole-  
 re, si nihil dolendo proficias, deinde etiam iniquum que-  
 ri de eo, quod uni accidit & omnibus restat. Quicquid  
 porrò sit, cui dominus inscriberis, cujus tantùm tibi, re-  
 rum

rum omnium conditor usumfructum concesserit, apud te quidem est, tuum non est, & tam perdere quàm perire, necesse est. Quid autem eripuit tibi, nisi suum, nisi quod dederit supremum illud numen, cum quo nec expostulare possis, nec conqueri amissum, nec jacturam putare, ubi temporaria æternis, mundana cœlestibus, effecta nitidissimis commutantur? Obiit tibi filius? & extra patriam? & florenti ætate? & medio in cursu? & optimis studiis? & dotibus ingenii adeò sinceris, ut in hanc palæstram, præter modestiam voti & supremi numinis cultum, nihil attulerit? Ita verò obiit! aderam laboranti, vidi atque interfui, postremò etiam fluitantem colligebam, dum subindè fatisceret, subinde symptomata ac deliquia pateretur, licèt novissimâ horâ, ex hoc mundi dramate, ut vivus è cubili, egressus sit, animamque ita placidè cœlo reddiderit, ut nihil ei ad votorum summam, deesse videretur, tam leniter, ac tantâ animi tranquillitate exspiranti. Aliquid tamen desideravêre oculi ejus in ipso mortis confinio, sed grande solatium tulit, quòd consulari familiâ, claris penatibus, optimis parentibus, patre imprimis, meritis in rempublicam, splendidâ dignitate egregiâ famâ, tot gestis sumptisque honoribus clarissimo; se dignum probaverit, dum usurâ hujus vitæ fruere-  
tur. Ergò impavidâ conscientîâ ac multâ subinde pietate, ut si jam collectis sarcinis, immensum iter ingrederetur, ad suprema sese composuit, relicto conjunctissimo fratre ac tanto luctui superstite, ut esset, in quo paternus animus requiescere posset. Gravis equidem plaga, quæ vel renitentibus nobis lachrimas elicit, quum intra domesticam umbram, improvisa statim solitudo ac silentia,

latè nos circumvallarent, referrentque imaginem ejus, qui tot annis, tantâ conjunctione vitæ, tam familiari studiorum societate, nobiscum vixerat. Quid ergò? ferenda ne ista acerbitas æquo animo, an paulisper cedendum, ut exfatiet se, aut certè primum impetum effundat dolor? Nostrum est, quod præteriit tempus, eademque omnes conditio obligavit: Cui nasci contigit, mori restat. Decessit quidem filius tuus, in exoticâ terrâ, sed ut Defuncto, funebri apparatu, Musæ quoque exequias irent; quum lecticis thensisque subvectum funus, densissimâ circum Patrum Academicorum ac nobilissimæ juventutis coronâ, sensim atque ad numerum, Mausolæo suo inferretur. Verùm hic alimenta dolori subjicit, quòd præclara inter initia, & si quod est pretium virtutis ex famâ maximam etiam exspectationem, studiaque, in quantum præumbrante literati hominis fastigio sperari posset, feliciter admodum provecta, excessisset. Tum etiam occurrent cæteræ, quæ in illo eminebant virtutes, summa modestia, hilaris conversatio, sermones jucundi, officiosa pietas, candor imprimis & innata probitas. Grave est, fateor, privari tam charo capite, isto alloquio, convictu: & si ruinæ ac monumenta veterum, muta atque inanimata, aspectu nos commovent, quid ni istæ vivæ imagines virtutum? Ivit ille, quò supremus Imperator iussit, tantâ etiam alacritate, ut spe futuræ felicitatis, quum, novissimum tempus immineret, tardum solem, desertricem noctem incusaret. Quoties nos, qui ægroto advigilabamus, repetitas excepimus voces; Domine, quid cessas? quid manes? an dereliquisti me? Ivit ergò à caligine in lucem; à servitute in libertatem; à contactu rerum ca-

duca-

ducarum ad æternum illud, in quo non tabes corpus, non langvor animum, non dolor occupat; sed in contubernio Angelorum, quàm late divina mens, supra convexum lucidissimi hujus corporis, jurisdictionem suam diffundit, gaudio perfruitur sempiterno. Materiane hæc lugendi, an gaudendi principium? Præcessit filius? sequemur, & quò abiit, illuc omnes, excusso mortalitatis situ, venire optamus. Respice celeritatem rapidissimi temporis, & tantillum hoc frui, si cum æternis contendas, nihil est; si cum naturâ rerum, & juvenes & senes in æquo sumus. Itaque minimum interest spatii inter amissum & desiderantem, foretque vana conquestio, quùm idem nobis iter emetiendum sit, flere eum, qui antecessit. Mittendus potius animus in præteritum, & habuisse te gaudeas, ad cujus prosperam memoriam refocillere. Nemo æternitatem temporis addixit, & quemadmodum tunc mori optimum est, quùm vivere suavissimum: ita planè miser ante miseriam, deprehenditur, quem caduca hæc ac peritura, ita detinent, ut ad omnem ictum palleat trepidetque. Denique, omnis fortuna bona est, siquidem ad Tabulam divinæ providentiæ determinata: lugere porrò, quem Deus ex hâc statione evocaverat, humani quidem affectus est, sed parùm, ut ita dicam candidi, parùm etiam æstimantis, quantum sit illud, quod Divina mens æternitati seposuit. Verùm hæc mihi, quæ singularem tuam prudentiam, Vir Amplissime, minimè fugiunt, justus dolor expresserat, quòd tantum familiæ ornamentum amiseris. Cæterùm in columem Tibi vitam ac florentem familiam constanter voveo. E Musæo meo, Lugduni Bat. prid. Id. Septemb. cIo Idc XLVIII.

Amplissimæ. Dig<sup>ti</sup>. Tæ.

*officiosissimè addictus*

ELAVS TERSERVS.

Suecus.

In exequias

*Doctissimi omnique virtutum genere ornatissimi*

J U V E N I S

J O H A N N I S H. T E T I I

Commenfalis fui fuaviffimi.



*Uecia quem genuit, voluit quem Belgica Musa*

*Suſcipere, & doctis erudiſſe ſonis:*

*Hunc mors atra rapit, nec vim potuerè furentis*

*Frangere fraternæ cura, medela, preces.*

*Suecia ſperabat reditum, ſpem Morta reſcindit,*

*Et præmaturo funere mergit eam.*

*Ergo licet reditus, patriamque videre negetur,*

*Nunc tamen in cælum, mens pia, docta redit.*

Ex intimo animi affectu,

poſuit

GERHARDVS BLASIVS. Med. Doct.